GRIFFOLI A MONTE POLITIANO ANTIQVI AC CELEBERRIMI I.C. RESPONSA SEV CONSILIA.

1bis

Accuratè, & diligenter varijs ex locis excerpta, & in vnum congeſta, opera ac ſtudio
CAROLI CAMPANII A MONTE POLITIANO. V.I.D.



FLORENTIÆ
Excudebat Valens Panitius Mantuanus: M D L X I X.

13 25 B 48

IOANNI RICCIO CARDINALI

AMPLISSIMO

Carolus Campanius Politianus. V. I. D. perpetuam præcatur fœlicitatem.

*O*MNI *ſtudio ac diligentia priſci illi ſapientiſsimi ac prudentiſsimi (præſul optime) magnorum ac preſtantiſſimorum virorum egregia atq; illuſtria facta ſuorum poſterorum animis imprimere ſtuduerunt: Videbant enim nulla alia re magis, quàm gloria homines ad benè beatèque viuendum accendi poſſe: Id autem nec commodius, nec validius fieri exiſtimarunt, quàm ſi quotidie præoculis Viros illos egregios, ac preſtantiſsmos haberemus: exiſtimarunt namque (cum paſsim tota vrbe, quòquò vè pedem conuertamus ſe ſe nobis offerent) facilè accidere poſſe, vt eorum virtutem ac præſtantiam animò ac mente reuoluentibus, arden*

tiſsimum ad gloriam deſiderium excitaretur; Hincque factum eſt, vt tot ſigna ænea, ac marmorea tota vrbe ſuburbaniſq; intueamur: Planè Athenienſes illi publicarum rerum ſtudioſiſsimi, nihil quod magis, non ſolum virtuti eorum, qui in Marathone pro Republica tam egregiè ac ſtrenuè certando occubuerant, conueniret, ſed vt Reipublicæ quoquè ac poſteritati commodum aliquod eodem tempore non modicum afferret, excogitare potuerunt, quàm quod eodem in loco vbi tam egregiam ac preſtantem Reipublicæ operam nauaſſent, ſepulturæ darentur, & ſingulorum nomina in lapideis, ac marmoreis æneiſq; columnis deſcriberentur: Eo enim facto ita ad gloriam, poſteritatem accendere exiſtimarunt, vt ſi quando in diſcrimine aliquo Reſpublica poſita eſſet, dequè eius ſalute tractaretur, qui non minus ac illi in Marathone vitam ac fortunas ſuas omnes pro Republica vltro offerēt defuturi non eſſent: Planè & ſi ænei, marmoreiq; aut alia quauis materia ſculpti, corporeis oculis ſeſe offerant; cum tamen paululum nos recipimus, videmus & hodie mente & intellectu, ac penè viuos intuemur Decios illos in hoſtes pro Reipublicæ

ſalute

ſalute morituros irruentes, Curtium in voraginem ſe ipſum proijcientem; Sceuolam dexteram combu- rentem, Scipiones alioſuè quàm plures non ſolum armis, ſed bonarum etiam artium ac ſcientiarum præclaros ac preſtantiſsimos viros, Quandoquidem ſi ad Platonem, Ariſtotelem, Hyppocratem, Galè- num, Papinianum, Sceuolam, & alios infinitos cu- iuſcunque ſcientiarum generis fuerint, animum adijciamus, illos in porticibus, et gimnaſijs diſputan tes, hos verò ægrotos adeuntes, & Medicamenta illis inferrentes, noſtroſq; Sceuolam, & Papinia- num de iure conſultoribus reſpondentes videre & intueri videbimur: Vnde eorum gloriæ ac preſtan- tiæ (quæ hominum natura eſt) cum anxijſsimus, & penè inuidere videamur, vt in nobis ardentiſ- ſimum illud gloriæ & immortalitatis deſiderium excitetur neceſſe eſt. Id igitur in me plurimum cum ſemper potuerit, conatuſq; ſim pro exiguis vi- ribus meis quantum licuit perficere, cum in noſtræ huius legalis ſcientiæ voluminibus reuoluendis, quæ- dam excellentiſsimi, ac præſtantiſsimi, nec vn- quam ſatis laudati Iureconſulti GRIFFOLI PO- LITIANI *reſponſa inter aliorum ſcripta quaſi obru*

ta ac ſummerſa inuenerim, Id virum Politianum amplius ferrè piaculum eſſe duxi, ob idquè ea omnia, quæ ipſe diligenti ſtudio inuenire potui in hoc volumen redigi curaui; Quod & ſi breue ſit, inde eius excellentia ac præſtantia percipi poteſt, quod vix ab aliorum iureconſultorum furtis, (cùm alioquin ipſe multa tam profitendo, quàm ex iure reſpondendo ſcripſerit) hæc pauca tanti viri reſponſa vendicare potuimus: Fuit enim ipſe GRIFFOLVS *ſuis temporibus (vt monumenta aliorum ſuæ ætatis iureconſultorum teſtantur) à valde laudatis laudatiſsimus iure conſultus: Qui cum in iure publicè profiteretur multa (& ea quidem egregia) ſcripſit, quæ hodie (mutato nomine) alijs aſcripta ſunt. Verum (quicquid ſit) ſatis eſt* GRIFFOLVM *noſtrum Politianum omnia iuris recondita ſecreta ita aperuiſſe, vt nulli ſecundus fuerit: Non deſunt enim iuris noſtri profeſſores, qui (licet eorum ſcripta, vel temporis iniquitate, vel aliorum iureconſultorum furtis ſubtracta ſub eorum nominibus non legantur) apud nos tamen celeberrimi & inter primos (ne dicam primi) reputantur, eorumquè nomina coluntur atque ſummo in honore ha-*

bentur. Cum igitur ad hoc animum adijeciſſem meum, ſtatim tu mihi (præſul optime) occurriſti, cui theſaurum hunc aliorum ſcriptis obrutum, nunc verò in lucem editum, offerrem. Quod quidem munus eò gratius & acceptius tibi futurum cenſeo, quod à viro Politiano tibi ab ineunte ætate dedititiſſimo, Iureconſulti Politiani præclariſsimi ſcripta penè ab inferis eruta accipis. Et ego eò libentius feci, quod te ſemper bonarum ſcientiarum profeſſorum non ſolum fautorem cognoui, ſed eos omnibus viribus tueri, amplecti, ac paterno quodam amore & ſtudio (quæ tua eſt natura) ac ardenti animo ſemper promouere, Qui enim animũ ad rem aliquam adijciunt propenſioreſq́; ſe præbent ea negligere non poſſunt. Duxi etiam munus hoc tibi hoc tempore eò gratius & acceptius futurum, quod cum pro tua in bonarum ſcientiarum profeſſores ingenti liberalitate in Piſano gymnaſio Collegiũ, aliquot in quo ſemper tuis impenſis Politiani adoloſcentes ſtudijs vacare poſſent, inſtitueris, Nihil illis hoc vno GRIFFOLO *Politiano, quod eos magis ſtimulet, obijcere potes. Eum enim ſi in talamis proſpicient, eius ex emplo, naturales adoloſcentium ap*

petitus ac cupiditates, ſenſusq́; potentiſsimos hoſtes reprimere ac reijcere poterunt, arduam & perdifficilem virtutis & gloriæ uiam ardenti animo ingreſſi, ad extremum vſq́; faſtigium perduci. Accipe igitur (præſul optime) munuſculum hoc qualecunq́; ſit ea animi hilaritate ac benignitate, qua alios bonarum ſcientiarum profeſſores proſequi ſolitus es, meq́; inter tuos deditiſsimos habere non dedigneris.

Vale. Florentiæ. Kal. Feb. M.D.L.XVIII.

CAROLVS CAMPANIVS . V . I . D.

CIVIBVS SVIS POLITIANIS.

GRIFFOLVS noſter POLITIANVS floruit tépore Federici Petrucij Senenſis antiqui ac celeberrimi Iureconſulti, Baldíque præceptoris, vt ipſe Baldus inquit in l. ſi quis ad declinandam §. in omnibus. col. iij. ſub nume. v. C. de epiſ. & cleric. & contemporanei Ioann. And. vt in c. j. col. ij. de maio: & obbe. lib. vj. vt Latius refert Marcus Mant. in ſuo epitome de viris Illuſtribus, in vita Federici nume. cvj. Federicus autem anno 1 3 1 2. in maxima expectatione habitus eſt, vt ex eius conſil. xxxiij. facilè intelligi poteſt. Qui quidem Federicus ipſum GRIFFOLVM maximo amore ac reuerentia proſecutus eſt, ipſiquè eo tempore vti ſeniori multumtribuebat, ſæpequè ipſum conſulebat, vt apparet ex conſilijs tam GRIFFOLI, quam ipſius Federici. De hoc noſtro GRIFFOLO meminit Cadin. Zabb. in c. per venerabilem. numer. xiiij. verſ. Sed an in legitimatione. extra. qui filij ſint legit. Vt què ex non nullis ipſius GRIFFOLI con-

ſilijs apparet S e n i s vel ius ciuile interpetrabatur, vel fortaſſe in criminalibus ius dicebat, vbi (& ſi ego diligenter perquiſiuerim) nihil tamen de eo reperire potui: Illud tamen quòd ipſe g r i f f o l v s in maxima extimatione habitus fuerit facillimè ſuadere poteſt, Quod clariſsima g r i f f o l o r v m familia in hanc vſque diem producta eſt, quæ vt ab eo originem habuerit exiſtimandum eſt.

Hæc ſunt, quæ Pauca pro temporũ iniuria & antiquitate de hoc noſtro g r i f f o l o ex varijs locis decerpere potui. Valete.

SEBASTIANI SANLEOLINI

CAROLO CAMPANO

CARMEN OB CVRATAM CONSIL. GRIFOLI IMPRESSIONEM.

SERVANTI *Ciuem viuum ſi querna Corona*
Præmio erat; modò te qualia dona manent?
Qui ciuem extinctum, mortisq́; è limine ad almam
Vitæ auram reuocas, viuere bisq́; facis.
Hoc maiora tibi debentur præmia: quanto eſt
Defuncto vitam reddere maius opus.
Qui fuerat viuens, Muſarum, & Iuris Aſylum;
Politici Griſolus gloria magna ſoli,
Parcarum inuidia raptus ſquallebat; & alto
Immeritò Læthes flumine merſus erat.
Mox caſum indignum exoſus, Ciuisq́; miſertus
Campanus Carolus gratus, amansq́; ſui,
Prudentis Reſponſa viri, teſtantia magnum
Ingenium, impreſſit; tum dedit vſq́; legi.
Atq́; quaterdenis ſic luſtris antè peractis
Campana Griſolus ſydera viſit ope.
Reſtituere ſuo nomen, famamq́; peremnem
Authori, prælo tradita ſcripta nouo.
Quod Griſolus Carolo, Carolo debemus & ipſi:
Vitam illi, vitæ commoda datq́; Sophis.
Quas Carolo grates author modò ſoluit, eaſdem
Perſoluat, legum candida vtriq́; manus.

INDEX RERUM ET SENTENTIARUM IN CONSILIA D. GRIFFOLI A MONTE POLITIANO.

Studio & diligentia CAROLI CAMPANII POLITIANI. V. I. D. fideliter confect.

A

ACCVSANDI ius vbi non competit, ſi illud opponatur, & in accuſatione deducatur, nõ nocet. D. Griffolus in conſil. 15. num. 15. pag. 20.

Accuſatio, in qua dicitur tales vulnerauerunt talem pluribus vulneribus, & ad predicta committenda, vnus alteri & alter alteri dedit auxilium, conſilium, & fauorem, an procedat, & an poſſint condemnari vt principales & auxiliatores. Griffol. in conſ. 15. num. pri. pag. 18.

Actio inepta. Vid. in verb. Libellus.

Actio in rem. Vid. in verb. Rei vendicatio.

Actio inſtitoria. Vid. in verb. Inſtitoria.

Animus & propoſitum delinquentis, nõ exitus in delictis ſpectatur. Griffol. in conſil. 15. num. 8. pag 19.

Argumentum à contrario ſenſu in iure noſtro validiſſimum eſt Griff. in conſil. 10. num. 3. pag. 11.

Argumentum de loco ad tempus validum eſt. Griffol. in conſil. 14. num. 4. pag. 16.

Artifices denominantur ſecundum diuerſas ſpecies artificij. Griffol

in conſil. 10. num. 9. pag. 12.

Artificium clericis, Vid. in verb. clericis.

Auxilij ſpecies & fauoris exprimenda eſt in ſententia vel accuſatione. Griffol. in conſil. 15. num. 12. pag. 19.

C.

Cauſa non factum conſiderari debet. Griff. conſil. 14. num. 7. pag. 17.

Citatio facta verbo die feriata & cuius effectus collatus eſt in diem non feriatam, an ſit nulla. Griffol. in conſi. 14. num. 1. & 11. pag. 16. & 17.

Citatio nuntij non per ſe ipſum principaliter fit, ſed ut impleatur per eum commiſſio Iudicis ſibi facta. ibid. num. 9. pag. 17.

Clerici an teneantur ad gabellas. Vid. in verb. Gabella.

Clerici delictum in detrimentum eccleſiæ redundare non debet. Griff. in conſi. 10. num. 6. pag 12.

Clericorum in rebus proprijs negociantium, vel ex turpi lucro acquirentium lucra, (ſi non competit repetitio) debent in vſus pauperum per epiſcopum diſtribui. ibid. num. 7. pag. 12.

Clericis negociatio eſt interdicta. ibid. num. 11. pag. 12.

Clericis artificium eſt interdictum, niſi quando propriæ facultates nõ ſuppetunt. ibid. num. 12. pag. 12.

Clerici ſtatutis, & conſuetudinibus patriæ regulariter non ligantur. ibid. num. 13. pag. 13.

Clerici negociantes, in rebus, in quibus fit negociatio, ipſo facto priuilegium ammittunt. ibid. num. 14. pag. 13.

Contractus diuerſis linguis poſſũt celebrari, dummodo contrahentes per ſe vel per verum interpetrem diuerſam illam linguã intelligãt. Griffol conſil. 4. num. 1. pag. 4.

Et quando appareat de vero interpetre. ibid. num. 2. pag. 4.

Contractus ſi eſt celebratus in aliquo loco, & eius effectus collatus eſt in alium locum, debet in conueniendo attendi locus, vbi eſt deſtinatus effectus, non locus celebrati contractus. Griffol. in conſi. 14 num. 6. pag. 17.

In loco contractus poteſt quis conueniri. ibid. num. 5. pag. 16.

Crediti ius remittens, obligationem diſſoluere dicitur. Griffol. conſi. 9. num. 2. pag. 10.

Creditor habens debitorem pignoratitium ſuſpectum, poteſt rem ſequeſtrari facere, uel ſatiſdationem petere de re non permutanda

Griffol. conſil. 13. num. 3. pag. 15.
Criminum diuerſa qualitas criminum diuerſitatem inducit. Griffol. in conſil. 6. num. 3, pag. 7.

D.

Damnum datum in turba aliud eſt, aliud extra turbam. Griffol. in conſil. 6. num. 2. pag. 6.
Damnum dolo datum aliud eſt, aliud culpa. ibid. num. 4. pag. 7.
Debitor pignoratitius oblatione & conſignatione pignus liberat, & illud per actionẽ pignoratitiam repetere poteſt. Griffol. conſil. 13. num. 1. pag. 15.
Dominus quãdo & in qua ſumma teneatur famulo ſuo ſalarium preſtare: Griffol. in conſil. 12. num. 1. & per totum. pag. 14.

E.

Effectus non verba eſt attendendus. Griffol. in conſil. 14. num. 2. pag. 16.
Empta per filium. Vid. in verb. filius.
Expenſæ non debentur ex ſententia, à qua fuit appellatum. Griffol. conſil. 1. num. 3 fol. 1.

F.

Fauor & auxilium tunc impenditur, quando quis non principaliter delinquit. Griffol. conſil. 15. num. 9. fol. 19.
Feriarum tempore fieri poſſunt ea, quæ ſine cauſæ cognitione de plano & non in forma Iudicij aguntur. Griffol. in conſil. 14. num. 10. pagin. 17.
Ferire aliud eſt, aliud percutere. Griffol. conſil. 15. num. 17. fol. 20.
Fideiuſſor pro eodem & principalis eſſe non poteſt. Griffol. conſil. 15. num. 4. fol. 18.
Filius Spurius ex ſubſtitutione pupillari facta à patre admittitur ad bona heredis cui eſt ſubſtitutus, ſed non ſubſtituentis. Griffol. conſil. 2. num. 5. pag. 3.
Empta per filium Spurium viuente patre, præſummuntur empta de bonis filij non patris. ibid. num. 3. pag 2.
Furto opem prebens non eſt fur, licet furti teneatur. Griffol. conſil. 15. num. 9. pagin. 19.

G.

Gabellæ, ſeu pedagia ab aliquo & præſertim à Clericis & perſonis eccleſiaſticis exigi non poſſunt. Griffol. conſil. 10. num. 1. pag. 11.

Niſi pro rebus quas clerici negociandi cauſa deferunt, vel deferri faciunt. ibid. num. 2. pag. 11.

Quod intellige de rebus eccleſiæ non proprijs clericorum. ibid. num. 5. pag. 12.

I.

Indicia ſolemnia quando ex ſtatuti forma debent præcedere citationē illis non præcedentibus, licet citata parte feratur ſententia, illa dicitur manifeſtè iniqua. Griffol. conſil. 15. num. 3. pag. 18.

In inſtitoria actione quæ ſint probāda. Griff. in conſ. 11. num. 4. pag. 14.

Intellectus ad c. j. de lit. conteſt. & ad l. j. §. vlt. ff. ad tertullia. ibi Quod ait Senatus quæ Iudicata, tranſacta, finita. &c. Griffol. in conſil. 8. num. 1. pag. 8.

Intellectus ad. c. quamquā de. cenſi. in 6. Griff. conſ. 10. num. 4 pag. 12.

Intellectus ad. l. fin. C. de ferijs. Griff. conſil. 14 num. 8. pag. 17.

Iudex ponderoſam, deliberatam, & recenſitam ſententiam proferre debet. Griffol. conſil. prim. num. 2. pag. 1.

Iuramentum maximum eſt remedium litium dirimendarum. Griffol. in conſil. 8. num. 2. pag. 9.

Iuramentum quod facit, multò magis Iuramentum & pactum. Griffol. ibid. num. 3. pag. 9.

L.

Legitimatio ſemper pretendit incommodum eorum, qui ſucceſſuri erant legitimatione non facta Griffol. conſil. 2. num. 2. pag. 2.

Libellus ſiue actio inepta, (ſi de ineptitudine conſtat à principio) reijcitur, ſin autem poſt factis probationibus, abſoluitur reus ab obſeruatione Iudicij. Griffol. in conſil. 11. num. 1. pag. 13.

M.

Mercari eſt rem emptam non mutatam vendere. Griffol. in conſil. 10. num. 8. pag. 12.

N.

Negociari eſt rem emptam non mutatam vendere. Griffol. in conſi. 10 num. 8. pag 12.

Negociatio dicitur in commercijs ibid. num. 10. pag. 12.

O.

Obligatio naturalis tollitur tam per remiſſionem, quàm per pactum de non petendo. Griffol. conſil. 9. num. 4. pag. 10.

Quando plures vulnerauerunt & ex ictu vnius perijt, is cuius ictu

perijt de occiſo tenetur, alij autem non vt auxilium prebentes occiſori, ſed de vulnerato tantum tenentur. Griffol. in conſil. 15. numer. 7. pag. 19.

P.

Pactum gratuitum dicitur donatio. Griffol. conſil. 7. num. 3 pag. 8.
Pactum nudum actionem non parit, ſed exceptionem. Griffol. in conſil. 9. num. 3. pag. 10.
Pater filios naturales (etiã quod legitimos habeat) legitimare poteſt. Griffol. in conſil. 2. num. 1. pag. 2.
Pignoris Ius per conſenſum ammittitur. Griffol. in conſil. 13. num. 2. pag. 15.
Poſſeſſor quilibet habet ius offerendi debitum et pignus liberat. ibid. num. 4. pag. 15.
Probatio ambigua & dubia contra producentem interpetratur; Griffol. conſil. 15. num. 14. pag. 20.
Procurator ad tranſigendũ nõ poteſt cedere. Griff. conſ. 7. nu. 1. pag. 8
Nec facere pactum gratuitum. ibid. num. 2. pag. 8.
Nec liberationem. ibid. num. 4. pag. 8.
Is qui fruſtatoriè & ambiguè ac obſcurè proponit, habetur pro non proponente. Griffol. in conſil. 15. num. 13. pag. 19.

R.

Rei Vendicatio, ſeu actio in rem poßidenti non datur. Griffol. in conſil. 11. num. 2. pag. 13.
Rei vendicatio datur contra poſſeſſorem, vel eum qui habet facultatem rei reſtituendæ. ibid. num. 3. pag. 13.
Res eadẽ non poteſt duplici iure cenſeri. Griff. conſ. 15 num. 5. pag. 19
Inter Reos criminis & fraudis participes multum intereſt. ibid. nume. 6. pag. 19.

S.

Sententia eſt nulla, quando mens, & animus Iudicis verbis non concordat. Griffol. conſil 1. num. 1. pag. prima.
Sententia lata contra non legitimè citatum, & comparentem & ſe excuſantem, eſt ipſo iure nulla. Griffo. in conſil. 15. num. 2. pag. 18.
Statuta reducẽda ſunt ad intellectũ iuris communis. ibid. nu 16. pag. 20
Si per ſtatutum ordo iuris remittitur citatio ad audiendam ſententiam non cenſetur remiſſa, quia tunc illa non eſt de Iuris ordine, ſed de ſolemnitatibus & ſic ſententia redditur nulla, ſi citatio om-

mittatur ibid.num. 18.pag. 20.

T.

Tabellio ad conficiendum publica inſtrumenta Iudicis officio cogi poteſt. Griffol. in conſil. 3.num.1.pag.4.

Tabellio eſt ſeruus publicus. ibid.num.2.pag.4.

Tabellio qui confecit Inſtrumentum ad illud exhibendum tenetur. ibid.num.3.pag. 4.

Tabellioni aſſerenti imbreuiaturam ammiſiſſe etiam cum iuramento non creditur, ſed id probare tenetur: ibid.num.4.pag.4.

Tabellio negans inſtrumentum confeciſſe cogetur ſummariè per Iudicem ad exibendum codicem imbreuiaturarum. ibid.nu. 5.pag. 4.

Tempore permiſſo aliquid fieri & tempore prohibito, & eius effectum conferre in tempus permiſſum paria ſunt. Griffol. conſil.14. num. 3. pag.16.

Teſtamentũ factum per filium famil.de quaſi caſtrenſi peculio, preteritis nepotibus ex filia fœmmina, poterit per nepotes expugnari et quommodo. Griffol.in conſil. 2. num 4.pag. 2.

Teſtes qui ſunt concordes in probatione percuſsionis, ſi tamen ſunt diſcordes in qualitate non probant. Griff.in conſil.6 num.1.pag.6.

Teſtis contrarius repellitur & ſuſpectus redditur. ibid. num.5.pa.7.

Teſti ſingulari fides adhibenda non eſt. ibid.num.6.pag. 7.

Teſtes deponentes in genere de auxilio & fauore præſtito in homicidio, deponunt de eo quod eſt iuris & non facti, & ſic concludenter non probant. Griffol. conſil.15.num.15.pag.20.

V.

Vſurarum remiſsionem facere & pactum de non petẽdis vſuris differunt. Griffol. conſil. 9.num.1.pag.10.

Indicis Conſiliorum Domini Griffoli A Montepolitiano. Finis.

F. Franciſcus de Sap. Generalis Tuſciæ Inquiſitor licentiam imprimendi concedit.

A MONTE POLITIANO ANTIQVI AC CELEBERRIMI I. C. CONSILIA INCIPIVNT.

Ex cōſilijs ſeu queſtionibus Federici de Senis celebratiſsimi ac famoſiſsimi I. C. conſil. L. I. in ordine ibi, hic vero primum.

S V M M A R I A.

1 *Sententia eſt nulla, quādo mens & animus Iudicis verbis nō cōcordat.*
2 *Iudex ponderoſam, deliberatā, & recenſitam ſententiā proferre debet.*
3 *Expenſæ non debentur ex ſententia, a qua fuit appellatum.*

CONSILIVM PRIMVM.

DIxi duabus rationibus, vigore ſententiæ Domini Berlingherij non debe ris expenſas. Primò quidem, Quia ex quo vſus fuit cōſilio Prudentum, & illud ſequi elegit in pronunciando, & in ea forma conſilij animum ſuum habuit, & ipſe verbis aliud expreſsit, quàm mente agitauit, non valuit: Hoc enim in Iudice in ſententiando requiritur, vt ſit de ſubſtantia ſen tentię animus & mens Iudicis, quæ & qualis ſit

1 in diffiniendo : †. Quia ſi non concordat animus & mens ſua verbis, ſententia nulla eſt, Quaſi non videatur iudicaſſe, de quo mēte non agitauit. Iſte eſt caſus. ff. de arbit. l. qualem. §. dicere. & ibi gloſ.
2 Et eſt ratio. †. Quia Iudex ponderoſam, deliberatam, & recenſitam ſententiam proferre debet. C. de ſentent. ex pericu. recitand. l. paterfam. & l. fina. alias non mœretur nomen ſententie. vt ibi patet. Ergo cum ille Iudex Berlingherius habuerit animum & mentem ſequendi conſilium, quod erat, vt pars abſolueretur ab obſeruatione iudicij, & verbis dixit contrarium menti ſuæ, non videtur iudicaſſe, quia non ſic mente agitauit, vt ſu-
3 pra, ergo &c. Ratione alia. †. Quia à tali ſententia fuit appellatum, & illa appellatio non dum eſt finita, vt ex actis apparet, nec ex prima ſententia ammodò debentur expenſæ, ſed debebuntur ex ſecunda quando pronuntiabitur. vt. ff. de infami. l. furti. §. j. & ibi colligitur. ergo &c.

Griffolus de Montepolitiano.

Ex eodem loco conſilium. LVII. ibi, hic ſecundum.

SVMMARIA.

1 *Pater filios naturales (etiã quod legitimos habeat) legitimare poteſt.*
2 *Legitimatio ſemper pretendit incommodum eorum, qui ſucceſſuri erant legitimatione non facta.*
3 *Empta per filium Spurium viuente patre, præſummuntur empta de bonis filij non patris.*
4 *Teſtamentũ factum per filium famil. de quaſi caſtrenſi peculio, præteritis nepotibus ex filia fœmmina, poterit p nepotes expugnari et quom.*
5 *Filius Spurius ex ſubſtitutione pupillari facta à patre, admittitur ad bona heredis cui eſt ſubſtitutus, ſed non ſubſtituentis.*

CONSILIVM SECVNDVM.

VIDETVR mihi, quòd in priuilegio legitimationis non fuit neceſſaria mentio, ſeu nominatio de exiſtentia nepotum ex filia præmortua, quia
1 nulla lege cauetur. † Nam pater poteſt legitimare filios naturales, ſiue habeat legitimos, ſiue non: Vt in authent. de inceſt. nupt. §. fina. cum materia ſua: & notatur Inſtitu. de hered. quæ ab inteſta.
2 deferunt. §. primo. Et alia ratio eſt, † Quia ſemper legitimatio prætendit incommodum aliorum, qui ſucceſſuri erant legitimatione non facta: Ergo qui petit ſe legitimari, nihil aliud petit, quàm ſe admitti ad bona patris, & quod ſit ſucceſſor ipſius patris, qui non erat ante legitimationem

obtentam: Ergo non videtur neceſſariò mentionem habendam de his, qui erant ſucceſſuri patri.

Super ſecundo dubio patet reſponſio ex premiſsis; An bona empta per filium viuente patre, pręſummantur empta de bonis paternis.

Super tertio dubio, cum quęritur, an res emptę per dictos filios Spurios, & in vita patris poſsint præſummi emptę de bonis patris, vel debeant pręſummi emptæ & aquiſitæ de bonis filiorum, non dubi

3 to. † præſummendum eſſe de bonis filiorum queſita. vt. C. de arbi. l. ſi defunctus.

Super quarto dubio, An teſtamentum factum per filium familias, de quaſi caſtrenſi peculio, in quo nepotes ex filia fœmmina fuerint preteriri, poſsit

4 expugnari per dictos nepotes præteritos. †. & puto poſſe legitimam partem ferre de hereditate aui ta, non per viam quærele, ſed per conditionem ex lege: vt. C. de epiſc. & cleric. l. ſacroſanctæ. & authen: præsbiteros. & ibi notatur.

Super quinto dubio, Reſpondeo vt in primo iam eſt reſponſum.

Super ſexto dubio, quo quæritur, vtrum auus paternus dictorum filiorum non legitimorum, poſsit eos heredes inſtituere, & vtrum dicti nepotes & Spurij ſint capaces hereditatis auitæ ex teſtamento. Videtur mihi fore capaces, & poſſe inſtitui ab auo paterno. Primò quia prohibitio eſt dumta-

xat

xat de patre ad filium Spurium, non autem de auo
5 ad nepotem.vt.C.de Naturalib. liber.l.j.†. Præterea filius Spurius ex ſubſtitutione pupillari facta à patre, admittitur ad bona heredis inſtituti, cui eſt ſubſtitutus, licet ad bona patris ſubſtituentis non admittatur.probatur.ff.de vulg.& pupill. ſubſtitut.l.ſi is qui. & notatur. C.de Natural. liber.l.ij.Et quia tamquam quilibet extraneus poteſt heres inſtitui.vt.ff.de adopt.l.ſi paterfamil.§. qui duos.

Super ſeptimo,quò queritur nunquid deijcientes & expellentes præfatos filios de rebus,quas pacificè poſsidebant, Ius ſuum ammiſerint ipſo iure, vel per ſententiam. Reſpondeo. huiuſmodi ſpoliatores pœnam.l.ſi quis in tantam. ſpoliando incurriſſe.

Griffolus de Montepolitiano.

Ex eodem loco conſil. CXIII. ibi hic tertium.

THEMA.

TITIVS conſtituit Meuium procuratorem ad obligandum Sempronio ad centum ex cauſa depoſiti, & Iohannes Notarium rogauit, quòd de procuratoria conficiat Inſtrumentum procurationis, & ſibi tradat. vt poſsit agere contra Titium debitorem: Quæritur quo iure cogatur dare inſtrumentum. Item ſi Notarius dicat, nunquam fui rogatus, vel feci tale inſtrumentum, Quid iuris & quòd erit remedium. Item ſi Notarius dicat, bene recolo, quòd fui rogatus, ſed non inuenio in breuiaturam, & de hoc vult iurare, an ſtetur ſuo iuramento, cum ipſe alias habeat librum protocollorum, ſeu imbreuiaturarum: & an hæc cauſa ſit ſummariè tractanda per l. ij. ff. de ferijs. ſuper verb. talibus exhibendis.

Reſponſio Domini Griffoli.

SVMMARIA.

1 Tabellio ad conficiendum publica inſtrumenta Iudicis officio cogi poteſt.

2 Tabellio eſt ſeruus publicus.

3 Tabellio qui confecit Inſtrumentum ad illud exhibendum tenetur.

4 Tabellioni aſſerenti imbreuiaturam ammiſiſſe etiam cum iuramento non creditur, ſed id probare tenetur:

5 Tabellio negans inſtrumentum confeciſſe cogetur ſummariè per Iudicem ad exibendum codicem imbreuiaturarum.

CONSILIVM TERTIVM.

CREDO quòd Tabellio compellatur officio
1 Iudicis conficere Inſtrumentum. †. cum ad conficiendà inſtruméta publica cogi poſsit.
2 vt not. C. de Tab. l. j. & notatur ſuper rub. †. Et vocatur ſeruus publicus, & hoc dico ad ſimilitudinẽ argentarij. vt. l. j. ff. de eden. &. ff. eod. l. ait prætor.
3 §. j. †. Si autẽ confeciſſet, tenetur actione ad exhibendum. C. ad exhibend. l. final. & ibi notatur.
4 †. Dico inſuper, quod ſi Notarius dicat ſe confeciſſe inſtrumentum, tamen dicit quod ammiſit imbreuiaturam, quòd non creditur iuramento ſuo, ſed debet caſum probare. vt dicit tex. & gloſſ. notat. ff. de edend. l. ſi quis ex argentarijs. §. vlti. licet videatur argumentum contra. de fide. inſtru. l. fin.

Super

Super vltimo puncto, Nunquid ſi negat, quo iure
5 cogatur.†.Credo quod ſummariè Iudex debet cognoſcere & informationem habere, ſi confecit vel non: Et hoc habito, tunc coget ſummariè eum oſtendere codicem in breuiaturarum.arg.ff.ad exiben.l.iij.§.ſciendum. Nam cum ſummatim cognoſcit, petet intereſſe propter ſuum inſtrumentum, igitur coget eum. Et ita credo ego.

Griffolus de Montepolitiano.

Ex eodẽ loco conſil.CXLIX.ibi, hic quartum.

SVMMARIA.

1 *Contractus diuerſis linguis poſſũt celebrari, dummodo contrahentes per ſe vel per verum interpetrem diuerſam illam linguã intelligãt.*
2 *De vero autem interpetre quando appareat.*

CONSILIVM QVARTVM.

1 LEx dicit, † quod nõ refert, vtrum Græca, vel Latina lingua contractus celebretur, dum tamen ſe contrahentes intelligant, ſiue per ſe, ſiue verum interpetrem, vt.ff.de verbo.oblig.l.j.in fin. Sed qualiter debet conſtare de vero interpetre, quando contrahentes ſe adinuicem non intel

ligentes

ligentes per interpetrem contrahunt, non meminí me legiſſe in ſpecie aliquam legem hoc dicentem, puto tamen quod ſi ſenſu aliquo poteſt percipi de mente cõtrahentium per interpetrem, quia annuit capite, vel humeris ad dictum interpetrem poteſt ſufficere. arg. ff. de teſtam. l. Qui teſtamento. §. fin. ibi. Hoc enim diuus Marcus diuo Iuliano in teſte, qui latinæ loqui non nouerat reſcripſit, Nam ſi vel ſenſu percipiat &c. & de verb. obli. l. j. vel quaſi ſine verbis annuiſtis: & de leg. iij. l. nutu. Aliud per me videre non poſſum.

Griffolus de Montepolitiano.

Ex eodẽ loco conſil. CLVII. ibi, hic quintum.

CONSILIVM QVINTVM.

VIDETVR mihi ex verbis & mente conſtitutionis Alexandri, quòd ſi quæſtio vſurarum moueretur coram Inquiſitore contra eum, cui per Inquiſitorem, quòd reſtitueret vſuras in preſentia foret iniunctum, quòd negãte conuicto Inquiſitor non poteſt vlterius cognoſcere, Quoniam huiuſ-

modi cognitio eſſet iudicialis & in figura Iudicij; quod eſt prohibitum: Si verò peteretur coram eo, quod huiuſmodi damnatus compelleretur ad reſtitutionem vſurarum, in quibus conſtat per ſententiam iam latam contra huiuſmodi criminoſum ſuper reſtitutione vſurarum, de quibus cõſtabat per confeſsionem damnati, vt pote qui ſponte confeſſus eſt ſe teneri ad reſtitutionẽ vſurarum, tunc poterit Inquiſitor talem compellere, alias non. Et hoc ex verbis conſtitutionis Alexandri. Ex conſtitutione tamen Bonifacij puto Alexandrum in hoc correctum, & hoc propter illa verba intromittere &c. Quæ omnem intromiſsionem excludunt & generalia ſunt.

Griffolus de Montepolitiano.

Ex eodem loco conſil. CLXII. ibi, hic ſextum. & eſt conſultatio ad Griffolum facta per Federicum de Senis, dum erat Scolaris.

THEMA FEDERICI.

DOMINE Griffole. Rogo vos, vt detis aliquas allegationes & argumenta ſuper infraſcriptis

dubijs vobis trita & quotidiana, Neç in his deliberatione indigetis. Quidam inquiſitus eſt, quod tali loco & tempore percuſsit quemdã cum vno ſpuntone feritorio,& pluribus vicibus ſine ſanguinis effuſione in manu: Modò vnus ex teſtibus productis cõtra eum dixit,vera eſſe contẽta in inquiſitione,qui interrogatus an per taglium an per punctam percuſſerit,reſpondit per punctam: Alius verò teſtis dixit per taglium & non per punctam: Interrogati teſtes in qua manu, dicunt ſe non recordari. Videtur mihi, quod ſibi inuicem contradicant,quia vnus dixit per punctam, & alius per taglium,& non per punctam. Item non eſt veriſimile ex qualitate & genere armorum, quòd per punctam percuſſerit ſine ſanguinis effuſione,& ſic ſibi inuicem derogantes non faciunt fidem. Item videtur mihi,quod,(quia non certificant in qua manu fuerit facta percuſsio)non ſit ſufficiens dictum teſtis per.l.prætor ait.ff.de iureiur. Inquiſitio tamen non ſpecificauit in qua manu fuerit facta percuſsio. Et licet iura noſtra à longè poſsint adduci, eſt tamen magis veſtra materia. Pero per vos iũuari, & cras vellem facere aliquas allegationes, quas non audeo facere ſine adiutorio veſtro. Vnde rogo vt habeam cras mane.

Reſponſio Domini Griffoli.

SVMMARIA.

1 *Teſtes qui ſunt concordes in probatione percußionis, ſi tamen ſunt diſcordes in qualitate non probant.*
2 *Damnum datum in turba aliud eſt, aliud extra turbam.*
3 *Criminum diverſa qualitas, criminum diuerſitatem inducit.*
4 *Damnum dolo datum aliud eſt, aliud culpa.*
5 *Teſtis contrarius repellitur & ſuſpectus redditur.*
6 *Teſti ſingulari fides adhibenda non eſt.*

CONSILIVM SEXTVM.

IN queſtione propoſita non videtur probatum crimen obiectum, Nam licet obijciatur de per-
1 cuſsione ſpontonis ſine ſanguine, † cum teſtes in probatione percuſsionis non ſint conteſtes, Vnus enim dixit quòd punctim, ſiue per punctam percuſsio interuenit; Alius quòd cęſim ſiue per taglium percuſsio interuenit & ſic de diuerſis, & ſuper diuerſis percuſsionibus atteſtantur: Nam alia eſt petcuſsio, quæ punctim, ſiue per punctam
2 infertur, Alia quę per taglium † Nam aliud eſt damnum in turba datum, aliud extra turbam. vt. ff. Vi bono. rapto. l. prætor ait. §. hec autem actio. Ep licet teſtes quò ad percuſsionem probandam ſint conteſtes, tamē quò ad modum, formam, ſeu qualitatem non ſunt conteſtes ſed contrarij. Nam v-

nus

nus dicit de vna qualitate,ſeu modo percuſsionis,
3 alius de alia.†.Et diuerſitas qualitatum criminum
inducit criminum diuerſitatem.vt.ff.de pœnis.l.
4 aut facta.§.qualitate.†.Item pro hoc facit quia
aliud eſt damnum dolo datum, aliud damnum cul
pa datū.vt.ff.ſi quis teſtam.liber eſſe iuſſ.fuer.l.j.
5 §.non autem alias.†.Item contrarietas teſtem re-
pellit & ſuſpectum reddit.vt.in authent.de teſtib.
§.ſi verò quidam.col.vij. Sed in propoſito dicti te-
ſtes ſunt omnino contrarij ſi de eadem percuſsio-
ne loquantur,Nam vnus dicit,quòd punctim per-
cuſsit,alter per taglium & non per punctam,vnde
ſibi adinuicem ſunt repugnantes & ſic repellendi
& neutri credendum.vt.C.de fid.inſtrum.l.ſcrip-
turæ.& d.§.ſi verò quidam. Verum ſi non loquan
6 tur de diuerſis percuſsionib.& iterabilibus.†.tunc
non ſunt conteſtes, & ſic neutri, vt puta ſingulari
in dicto ſuo ſtandū eſt.vt.C.de teſtib.l.iuſiurandi.

Griffolus de Montepolitiano.

Ex eodem loco conſil.CXXLVII.ibi, hic ſeptimum.

T H E M A.

QVIDAM habet poteſtatem tranſigendi & componendi cum debitore in mille libris, tranſigē do,

do, non poteſt inde conſequi niſi quingentas libras, cedendo, & vendendo nomen alteri poteſt conſequi 600. vel 700. libras. Quęritur nunquid poſsit alteri cedere cum in procuratorio poſt verbum tranſigendi, & componendi non ſit clauſula generalis & omnia ſimilia, quia tunc poſſet per expreſsionem caſuum ſpecialium: Item quæritur, Nunquid per verba componendi, poſsit comprehendi gratuita remiſsio? Et videtur quòd ſic: Nã in ſpiritualibus poteſt interuenire compoſitio, vt extra. de tranſ. c. ſuper eo. Sed hoc non poteſt eſſe niſi ſit gratuita, quia in ſpiritualibus non poteſt admitti modus, pactio, vel conditio. In contrarium videtur quòd donatio & remiſsio equipollent. ff. de calumn. l. quinetiam. Sed vt ſcitis, habens etiã generalem & liberam non poteſt donare. Quæritur quid iuris?

Reſponſio Domini Griffoli.

SVMMARIA.

1. *Procurator ad tranſigendum non poteſt cedere.*
2. *Nec facere pactum gratuitum; Nec liberationem facere. num. iiij.*
3. *Pactum gratuitum dicitur donatio.*

CONSILIVM SEPTIMVM.

1 SVPER primo puncto † non puto procuratorē de quo quæritur poteſtate huiuſmodi mandati, alteri iura cedere poſſe, Quia licet poſsit ex vi mandati tranſigere, non tamen cedere poſſet, cum ceſsio includatur in tranſactione, quæ titulū exigit. vt. l. vlt. & penult. C. mandat.
2 Super ſecundo puncto. †. Puto non poſſe gratui-
3 tum pactum facere. †. cum huiuſmodi pactum ſit donatio. vt. ff. de pact. l. contra iuris. §. ſi filius fam. & de tranſact. l. j. reſponſ. ij. Non obſtat verbum componendi, quia intelligeretur, pro eodem poni verbum tranſigendi & componendi, videlicet componendi tranſigendo, tranſactionem pacto roborando &c. Non autem quòd gratis remittere poſsit, quia tunc non eſſet compoſitio, ſed libe-
4 ratio. † quæ à tali procuratore fieri non poteſt. vt. ff. de pact. l. Nam & ſi neceſſe.

Griffolus de Montepolitiano.

Ex eodem loco conſil. CLXXXIII. ibi, hic octauum. & eſt conſultatio Federici ad D. Griffollum.

THEMA FEDERICI.

DOMINE Griffole. Rogo vos inſtanter ego Federicus, quod placeat vobis mihi reſcribere. 1
Quid ſentitis vel in Iudicio obſeruatis de infraſcripto dubio, & placeat vobis dare reſponſionē in campanellis, & mittam tunc famulum. Dicitur in c.j.de lit.conteſt.lib.vj. Quòd exceptio rei iudicatæ, tranſactæ, vel finitæ impedit litis conteſtationem: Quæro, Quid intelligatis nomine finitæ; an ſit vera opinio Innocentij: Quòd iuramentum de non agendo & non petendo impediat litis conteſtationē: Mihi plus placet dictum Innoc. in eodem loco poſitum, vbi dicit, quòd verbum finitum nil addit ad verbum tranſactum, vel iudicatū, ſed multiplicatis verbis idem repetit.

Reſponſio Domini Griffoli.

SVMMARIA.

1 *Intellectus ad c.i.de lit.conteſtat. in vi. & ad.l.i.§.vlt.ff ad Tertull.ibi quod ait Senatus, quæ iudicata, tranſacta, finita &c.*
2 *Iuramentum maximum eſt remedium litium dirimendarum.*
3 *Iuramentum quod facit, multo magis iuramentum & pactum.*

CONSILIVM OCTAVVM.

1 VERBA poſita † in c.j.de lit.conteſtat.lib.vj. ſumpta ſunt ex l.j.§.vltim.ff.ad Senatus con: Tertull.

Tertull. ibi. Quod ait Senatus quę iudicata, tranſacta, finita vè ſunt &c. Deinde Vulpianus verba Senatus exponit, dum dicit Iudicata, ſcilicet bona fide, vt valeat tranſactio finita, vel conſenſu, vel ſilentio longo ſopita. Ego illa verba finita, intelligo, finita iureiurando de rato à parte parti, quan-
2 do capit ſpeciem tranſactionis.†.& eſt maximum remedium litium dirimendarum. vt. l. j. & ij. ff. de iureiurando. Non autem intelligo finita ſilentio, ideſt præſcriptione, Quoniam illam non puto impedire litis conteſtationem. Idem valet quòd impediat pactum de non petendo iuramento val-
3 latum.†. Quia ſolum iuramentum hoc facit, multomagis iuramentum & pactum. arg. C. de tranſanct. l. ſi quis maior. & ita iſtis terminis & caſibus ſic in iurando & paciſcendo longe facit à petendo. Et ita intelligi poſſunt illa verba, vel longo ſilentio ſopita &c. & ita tenerem opinionem Innocen. in princ. Licet gloſſ. quæ eſt. ff. de verb. ſignific. l. tranſacta. Videatur tenere vltimam opinionem Innocen. Nam ibi exponit tranſacta, finita vè, ideſt ttanſactione finita. vt d. l. tranſacta. notatur in gloſſ. pone exemplum. infin. & poſſunt intelligi illa verba finita conſenſu, quando renuntiatur liti. vt. C. de pact. l. poſtquam.

Griffolus de Montepolitiano

Ex eodem loco conſil. CLXXXIIII. ibi, hic: nonum & eſt alia conſultatio Federici ad D. Griffolum.

THEMA FEDERICI.

SECVNDVM eſt tale. Comuniter tenetur per Doctores, de reg. iur. non dimittitur peccatum. lib. vj. Quòd ſi is qui ſoluit vſuras liberaliter, donet & remittat vſuras, ſecurus eſt vſurarius, vt nec iure poli, nec iure fori teneatur reſtituere, quia bene poteſt purgari vitium furti, re furtiua de voluntate domini remanente apud furem & ſatisfactum intelligitur creditori &c. Sed cum ille, qui pactum fecit de non petendo in effectu videatur donaſſe & remiſiſſe, quia ſemper obſtat ſibi exceptio: Quęro & dubito, quare ille qui pactum fecit vel iurauit de non repetendis vſuris, poſsit hoc non obſtante repetere, cum donatio & liberalis remiſsio ex parte vna, & pactum de non petẽdo ex alia ſint paria in effectu: Et quòd talis poſsit repetere, qui fecit pactum de non petendo, videtur probare. de iureiur. c. ad noſtram. il. ij. de vſur. c. tua.

Reſponſio Domini Griffoli.

SVMMARIA.

1 *Vſurarum remiſſionem facere & pactum de non petendis uſuris differunt.*
2 *Crediti Ius remittens obligationem diſſoluere dicitur.*
3 *Pactum nudum actionem non parit, ſed exceptionem.*
4 *Obligatio naturalis tollitur tam per remiſſionem, quàm per pactum de non petendo.*

CONSILIVM NONVM.

1 SVPER ſecundo puncto.†.non ſunt paria remiſ ſionem vſurarum facere, & pactum de non pe-
2 tendis vſuris.†.Nam qui remittit ius crediti trãſfert aliquid in debitorem,& quodamodo à ſe abdicat actionem ſibi competentem,& pro tanto ſatisfacere, & ſoluere, ideſt diſſoluere obligationé dicitur.ut.arg.ff.de ſolutio.l.ſolutionis verbum.&.ff.de verb.ſign.l,ſolutionis. Qui verò paciſcitur de non petendo, non agit in obligationis ſubſtantia,& non diſſoluit obligationem,ſed obligat ad non petendum: Verum quia huiuſmodi pactũ
3 eſt nudum.†.non datur ex tali nudo pacto actio, ſed exceptio.vt.l. iuriſgentium.§. ſed cũ nuda. ff. de pact. Vnde qui paciſcitur, non petere vſuras,ſi remouetur exceptione, replicabitur de improbo pacto, quaſi non potuerit obligari: Vnde ope replicationis conſequitur vſuras, ſaltem per mediũ ſecundum.c.ad noſtram. ſuprallegatum. Sed qui

remittit non poterit etiam per medium illas con-
4 ſequi, quaſi pinguius ſit remittere, quam paciſci. †. licet vtroque modo tollatur obligatio naturalis: vt. l. ſtichum. §. naturalis. ff. de ſolutio.

Griffolus de Montepolitiano.

Ex eodem loco conſil. CCVII. ibi, hic decimum & fuit conſ. deciſiuum D. Griffoli & Federici & Conradi.

SVMMARIA.

1 *Gabellæ ſeu pedagia ab aliquo & preſertim à clericis & perſonis eccleſiaſticis exigi non poſſunt.*
2 *Niſi pro rebus, quas clerici negociandi cauſa deferunt vel deferri faciunt.*
Quod intellige de rebus eccleſiïs non propriïs clericorum. num. 5.
3 *Argumentum à contrario ſenſu in iure noſtro validiſſimum eſt.*
4 *Intellectus ad c. quamquam. de cenſib. in 6o.*
6 *Clerici delictum in detrimentum eccleſiæ redundare non debet.*
7 *Clericorum in rebus propriïs negociantiũ, vel ex turpi lucro aquirentium, ſi non competit repetitio, lucra debent in vſus pauperũ per epiſcopum diſtribui:*
8 *Negociari ſeu mercari eſt rem emptam non mutatam vendere.*
9 *Artifices denominantur ſecundum diuerſas ſpecies artificiï.*

10 *Negociatio dicitur in commercijs.*
11 *Negociatio eſt clericis interdicta.*
12 *Artificium clericis eſt interdictum, niſi quando propriæ facultates non ſuppetunt.*
13 *Clerici ſtatutis & conſuetudinibus patriæ regulariter nō ligantur.*
14 *Clerici negociantes, in rebus, in quibus fit negociatio, ipſo facto priuilegium ammittunt.*

CONSILIVM .X.

IN Chriſti nomine Amen. Nos Griffolus Iacobi de Montepolitiano legum, & Federicus de Senis, Decretorum Doctores, & cōſiliarij, vel conſultores aſſumpti à partibus infraſcrip. ſuper infraſcripto puncto videlicet. An Monaſterium ſancti Galgani ordinis Ciſtercienſium, Vulterranæ Dioceſis, debeat ſoluere gabellam, ſeu paſſaggium de vena ferrea, quam faciunt deferre de inſula Ilbæ Peſaurum, & de ferro, quod faciunt deferre 1
Senas, & extra comitatum Senarum, cuius puncti tenor & continentia talis eſt. Nouerint vniuerſi &c. vſque ad finem. Viſo & maturè diſcuſso puncto præfato, & auditis ſæpe & ſæpius allegationibus vtriuſque partis & quod dicere, & allegare voluerunt, & habito ſuper eiſdem comuni- 2
ter & diuiſim ſtudio diligenti, & adinuicem col- 3
latione ſæpius repetita, Nec non cum Domino CONRADO iuris vtriuſque perito,

quem extra numerum ſuſceptorum, nobis in collegam & tertium aſſumpſimus, ipſo Conrado, infraſcripto conſilio aſſentiente. Dicimus & conſulimus, quòd præfatum Monaſterium & D. Petrus ipſius Syndicus Syndicatorio nomine non poſſunt nec debent compelli ad præfatum pedagium ſeu gabellã de vena prædicta: Nec gabellarij poſſunt vel debent de dicta vena ferrea (vt ſupra narratur) pedagium, ſeu gabellam exigere, & quòd Domini & generales executores gabellę debeant ſua ſententia pronuntiare, diffinire, & declarare dictum Monaſterium ad dictam gabellam ſoluẽdam pro dicta vena non teneri, Nec poſſe vel debere ad illam ſoluendam compelli cauſis, & rationibus infraſcriptis ſub compendio narrandis, & alijs propter breuitatem temporis ſilẽtio committendis.
1 Generaliter enim prohibitum eſt. †. Ne pedagia ſeu gabellæ ab aliquo exigantur, & præcipuè à clericis & eccleſiaſticis perſonis. Vt extra. de verbor. ſigni. ſuper quibuſdam. & de cenſib. c. quamquam. lib. vj. Ab iſta ergo regula ſic generaliter promulgata recedendum non eſt, niſi caueatur iure aliquo ſpeciali.
2 †. Sed videtur quòd ab iſta regula recedatur per prædictum. c. quamquam. à
3 contrario ipſius. †. quòd argumentum eſt in iure fortiſsimum. de his quæ fiunt à prælato. c. cum apoſtolica. in fin. qui contrarius ſenſus annuit,

quòd

quòd de rebus quas cauſa negociandi deferunt
vel deferri faciunt clerici, teneantur ſoluere peda
gium ſeu gabellam: At vena præfata defertur cau
ſa negociandi (vt gabellarij dicunt) ergo debent
fratres ſancti Galgani ſoluere gabellam ſeu peda-
gium de vena prædicta. Ad hoc reſpondetur mul
4 tipliciter.†.quòd illud.c.quamquam. à contrario
ſenſu habet locum in rebus proprijs ipſorum cle-
ricorum, & non in rebus eccleſiæ & etiam innuit
5 de vit.& honeſt.cleric.c.vlt.†.De rebus autem ec
cleſiæ & ſi in eis prælati & clerici negocientur,
6 non eſt gabella ſoluenda ſeu pedagium.†.quia de
lictum clericorum &c. de reg.iu.delictum.lib.vj.
cum ſimilibus. Immò potius debet applicari ec-
cleſiæ in cuius ignominiam excitata eſt negocia-
tio, vt accedat, quòd legitur & notatur de ſimon.
7 .c.de hoc. cum ſimilibus.†. Et ſi clerici in rebus
proprijs ſunt negociati, vel ex turpi lucro aquiſie
runt, dummodo non competat repetitio, debet lu
crum in vſus pauperum per epiſcopum diſtribui.
Vt notat Hoſtienſ. de teſtam.c.relatum il.ij.ſuper
verb.arbitrio. Secundo modo reſpõdetur, quòd
deductio & tranſlactio ipſius venæ vt inde fiat fer
rum, ſeu coletur, (vt ſupra præmiſſum eſt) non fit
8 cauſa negociandi.†.Nam negociari ſeu mercari
eſt rem emptam non mutatam vendere: Emere
verò rudem materiam & illam per artificium & ſe

cundum

cundum regulas alicuius profeſsionis ſeu artis ad aliquam formam deducere, non eſt negociari, ſeu mercari, nec negociatorem ſeu mercatorem
9 faciunt, ſed artificem.†.& ſecundum diuerſas ſpecies artificij denominantur artifices, vt lanifices, textores, & aurifices, fabri, & ſimiles, vt pro-
10 batur. LXXXVII. diſtin. eijciens.†. Vnde negociatio dicitur in commercijs. de verborum ſi-
11 gni.c.forus.†.Negociatio eſt clericis interdicta, artificium non. vt colligitur. LXXXVIII. diſtin.per tot.91.diſtin.c.clericis.de cõſecr.diſt.vj. c.nũquã. & ita ſentit etiã Arch.in pręd.c.quãquã. In propoſito quidem fratres non vendunt venam emptam, ſed ſubtiliſsimo artificio & ingenio faciunt & fieri faciunt colari, & diſtingui, & faciũt
12 ſeparari ferrum purum, vt omnibus eſt notum.†. Et ſi aliquis diceret, quod clericis & religioſis non eſt licitum tale artificium, niſi quando propriæ facultates non ſuppetunt. vt notatur. 14.q.3.in fin. ſummæ. At vt gabellarij dicunt, iſti fratres plurimum abundant etiam ſine iſto artificio, ergo &c. Reſpondetur primò, quod conſiderata hoſpitalitate forenſium, ælemoſinis pauperum, expenſis conuenctus, quæ omninò euitari nõ poſſunt, nec debent, & alijs oneribus incumbentibus per anni circulum neceſſariò ſupportandis, ſine illo artificio dicti fratres tranſire non poſſunt. Pręterea,

ſiue

ſiue abbundent, ſiue non, ſufficit ad eorum defenſionem, ꝙ hoc exercere, non ſit negotiari, per regulam ſuperius poſitam. Et tertiò & vltimo reſpõdetur ad c. quamquam. quòd licet deferre & deferri facere venam &c. ſit negociatio, cuius contra-
13 rium ſuperius eſt probatum. †. Non tamen hoc ipſo ſubiacent ſtatutis & conſuetudinibus patriæ. probatur in eo, quòd legitur, & notatur de vit. & honeſt. cleri. c. fina. Caueant ergo iſti gabellarij à pena decretalis. quãquam. de cenſib. libr. vj. plus
14 placent ſolutiones præmiſſæ. †. Nam in rebus, in quibus fit negociatio ipſo facto perditur priuilegium. c. vlt. de vit. & honeſt. cleri. quia loquitur de alijs rebus, in quibus fit negociatio &c.

Griffolus de Montepolitiano.
Federicus de Senis.
Conradus.

Ex eodem loco conſil. CCXII. ibi, hic XI. & eſt Reſponſio D. Griffoli, ad conſultationem Federici.

SVMMARIA.

1 *Libellus ſiue actio inepta, ſi de ineptitudine conſtat à principio, reijci*

tur: ſin autem poſt factis probationibus, abſolui iur reus ab obſeruatione Iudicij.

2 *Rei vendicatio ſeu actio in rem poſſidenti non competit.*

3 *Rei vend. datur contra poſſeſſorem, vel eum qui habet facultatem re reſtituendæ.*

4 *In actione inſtitoria que ſint probanda.*

CONSILIVM .XI.

1 QVANDO proponitur actio incõpetẽs,& inepta.†.aut de ineptitudine cõſtat à principio, & tunc debet libellus lacerari.vt.l.j.ff.de offi.aſſeſſ.& in l.ij.in fi.C.vt nemo priuat.titul.pred. ſuis &c. Et exemplum huius eſt, ſi peto à te decẽ, quæ tibi mutuaui, quæ prędicta peto per actionem ex locato. Si autem à principio non conſtat de inepta petitione & actione,ſed ex poſt facto,factis probationibus,tunc abſoluitur conuentus ab obſeruãtia iudicij, vel pronuntiatur intentionem non tenere,quod idem eſt. Exemplum huius patet in c.examinata. de iudi. Nam ibi actor propoſuit rei vendicationem ad ius patronatus,Rei ven

2 dicatio nõn datur poſſeſſori.†.quia poſsidenti vltro in rẽ actio nõ defertur.vt.ff.vti poſsid.l.j.§.in

3 terdũ autẽ.†.Itẽ datur cõtra poſſeſſorẽ vel eũ, qui habet facultãtẽ rei reſtituendę.vt.l.officium.ff.de rei vend.vnde in c.examinata.agens poſsidebat, & cõuẽtus nõ poſsidebat: Vnde cũ ex probationibus nõ appareat cõuẽtũ poſſe teneri rei vẽdicatione,

ne,neque actori competere, etiam quãtum ad for
mam agẽdi in rem, & cum ipſe actor ſit poſſeſſor,
apparet ex probationibus actionem ineptè pro-
poſitam, & ſic pronuntiandum intentionem non
tenere: Simile eſt in c.cum ad ſedem. Ibi enim a-
ctor petit reſtitutionem rerum, quas aſſerit ad ſe
pertinere,& ſic petitorium & poſſeſſorium inten-
tauit, & propoſuit interdictum Vnde vi: Vnde
cum à principio poterat interdictum competere,
ſi probaretur ſpoliatio. Cum ergo in proceſſu
non fuerit probata ſpoliatio, ineptè fuit petita re-
ſtitutio per interdictum. Idem eſt, ſi ago inſtito- 1
ria contra dominum ex contractu ſerui propoſiti
in merce dominica, & in proceſſu non probo me
credidiſſe in merce dominica, ſed peculiari, appa
ret ex probatis me ineptè petijſſe, & conſequen-
4 ter pronunciandum intentionem nõ tenere. †. Idẽ
ſi ago inſtitoria, quaſi in merce dominica mutuaſ
ſe, & probo mutuaſſe non in merce olearia, ſed ſer
uo propoſito mutuis pecunijs recipiendis, malè,
ideſt ſe ineptè, ergo &c. Vt. ff. de inſtito. l. ſed & ſi
pupillus. §. ſi inſtoria. & l. habeat. & ita ſentiun Do
ctor. & gloſſ. noſtri &c.

Griffolus de Montepolitiano.

Ex eodem loco conſil. CCXVIII. ibi, hic. XII. & eſt Reſponſio ad conſultationem Federici.

SVMMARIA.

1 *Dominus quando & in qua ſumma teneatur famulo ſuo ſalarium præſtare.*

CONSILIVM .XII.

1 VIDETVR (ſalua latiori deliberatione) quod ſi prefatus domicellus conſueuerat operas ſuas locare, & dominus cōducere operas miniſtrorum, quod ſalarium ſiue merces debeatur eidem, ſaltem vſque ad ſummam, quam alterius opera & miniſterio dominus fuiſſet conducturus. arg. ff. de cond. indé. l. ſi non ſortem. §. libertus. verſ. ſed hoc nunquid. & per hoc: C. de fund. patrimo. li. ſi. lib. xj. ff. de donatio. l. in ædibus. in prin. vid. in queſt. j. c. ſunt non nulli. per Archid.

Griffolus de Montepolitiano.

Ex eodem loco conſil. CCXXVI. ibi, hic. decimumtertium.

SVMMARIA.

1 *Debitor pignoratitius, oblatione & conſignatione pignus liberat, & illud per actionem pignoratitiam repetere poteſt.*
2 *Pignoris ius per conſenſum ammittitur.*
3 *Creditor habens debitorem pignoratitium ſuſpectum, poteſt rem ſequeſtrari facere, vel ſatiſdationem petere de re non permutanda.*
4 *Poſſeſſor quilibet habet ius offerendi debitum & pignus liberare.*

CONSILIVM. XIIII.

1 QVeſtio videtur mihi ſatis dubia, (ſed iudicio meo) credo debitorem potiorē. † Quia ex ſola oblatione, & conſignatione facta à debitore, liberatum eſt pignus, & poteſt illud per pignoratitiam actionem repetere: vt. l. aliena res. §. ſi creditorem. ff. de pign. actio. & l. ſi rem. §. omnis. C. eod. tit. & l. ij. C. de luitio. pigno. & ſic inuitus cogitur ſeruus creditor debitori credere, Nec talem debitoris obligationem poteſt impedire primus creditor offerendo: arg. l. bona fides. §. j. & ex eo quod ibi notatur. ff. depoſ. Maximè cum non videtur intereſſe primi creditoris, quia ſi liberato pignore à ſecundo creditore per debitorem, remouetur primus ſolus qui habet vnde gaudeat debitore offerente. Si enim vellet excludere debitorem, & eum offerentem impedire, deberet iure actionis, ſcilicet hypotecarię petere pignus, quòd poſſet à ſecundo creditore, & per iſtum modum poſ-

poſſet. vt in dicta.l.bonafides. Licet in caſu iſto poſſet propter conſenſum, quem adhibuit in ſecunda obligatione, vt ex themate queſtionis pa-
2 tet.†.per quem conſenſum ius pignoris ammiſit, quantum ad ſecundum creditorem.vt.l.paulus.in princ.ff.Quibus mod.pigno.vel hypote.ſolui. &
3 ibi notatur.†. Sed eſſet conſultum primo creditori, ſi debitorem habet ſuſpectum, facere rem ſequeſtrari, vel ſatiſdari de re non barattanda. per ea quæ habentur, in l. ſi fideiuſſor.§.finali.ff. Qui ſatiſda.cogan. Nec puto, quod tempus poſſit ſtatuere Iudex infra quod luat, quia non video quo iure iſtud poſsit facere, compellere creditorem infra tempus luere, cum ſolui non poterat à debitore, & fortè iſto caſu non poteſt primus creditor ius offerendi proponere, quia videtur pignus obligat. quantum ad ſecundum creditorem ammiſiſſe propter conſenſum, vt dictum eſt: & ſic non videtur primus creditor quo. ad ſecundum, & ideo non poteſt offerre vt creditor,
4 nec vt alius ex quo non poſsidet.†.ſi poſsideret, poſſet quilibet offerre debitum.vt.dicta.l.paulus. ff. Quibus mod.pign.vel hypot.ſolu.&.l.mulier. ff. Qui potio in pigno.habeant.&c.

Griffolus de Montepolitiano.

Ex Eodem loco conſil. CCXXIIII. ibi, hic. decimumquartum.

SVMMARIA.

1 *Citatio facta verbo die feriata, & cuius effectus collatus eſt in diem non feriatam an ſit nulla & num. 11.*
2 *Effectus non verba eſt attendendus*
3 *Tempore permiſſo aliquid fieri, & tempore prohibito, & eius effectum conferre in tempus permiſſum, paria ſunt.*
4 *Argumentum de loco ad tempus validum eſt.*
5 *In loco contractus poteſt quis conueniri.*
6 *Contractus ſi eſt celebratus in aliquo loco, & eius effectus collatus eſt in alium locum, debet in conueniendo attendi locus vbi eſt deſtinatus effectus, non locus celebrati contractus.*
7 *Cauſa non factum conſiderari debet.*
8 *Intellectus ad.l.fin.C.de ferijs.*
9 *Citatio nuntij nõ per ſe ipſum principaliter fit, ſed vt impleatur per eum commiſſio Iudicis ſibi facta.*
10 *Feriarum tempore fieri poſſunt ea, quæ ſine cauſa cognitione, de plano, & non in forma Iudicij aguntur.*

CONSILIVM XIIII.

SVO Domino Federico Griffolus ſalutem. Pro voto in queſtione veſtra, veſtro recto conſilio iam deciſa. Primò conſidero factum iudicis citari iubentis, & tam commiſsio de citando, quàm etiam dies ſtatutus ad comparendum, tempore legitimo & debito præceſſerunt. Secundò conſidero factum nuncij, ſiue executoris citantis & verbalis

citatio

citatio facta tempore feriarum, & ſic prohibitio emanauit, & effectus citationis collatus fuit in tempus permiſſum, ſcilicet ad diem comparitio-
1 nis iuridicæ. Modo reſtat videndum.†. Nunquid premiſſa citatio facta verbo die feriata, & cuius effectus collatus eſt in diem non feriatam ſit attendenda, & ſic vitioſa & non iure facta? Et primò videtur, non attendi neque conſiderari debere tē-
2 pus verbalis citationis.†. Nam ſemper effectum potius, quam verba conſiderare debemus. ff. de adimen. lega. l. iij. §. cond. & C. de liber. præteri. l. ſi quis filium. cum materia ſua. ſed effectus premiſſæ citationis fuit collatus in tempus non feriatum,
3 ergo &c. †. Secundò, Quia aliquid fieri in tempore permiſſo, & fieri in tempore prohibito, & eius effectum cōferri in tempus permiſſum, paria ſunt. vt. ff. de hered. inſtituend. l. vt tempus. & de donat. inter virum & vxo. l. ſi cum. §. fina. cum l. ſeq. Sed præmiſſæ citationis effectus collatus fuit in tempus permiſſum, ergo iuris ſortitur effectum, vt dicta iura plenè probant.†. Tertiò quia licet argu-
4 mentari de loco ad tempus. vt. ff. de tritica. l. vlti. Sed ſi Florentinus non habens domicilium Senis, facit contractum Senis, & eius effectum in alium locum confert, ibi, non autem vbi contraxit con
5 ueniendus erit.†. licet Senis vbi contraxit ratione contractus potuiſſet alias conueniri. Vt. ff. de Iu-

dic.

6 dic.l.omnem.†.& ſic non attenditur locus vbi verè contractus erat celebratus, ſed locus, vbi effectus ipſius eſt deſtinatus. vt.ff.de iudic.l. heres abſens.§.vlt. & de bon.autho.iudic.poſsid.l.ij.& de actio.& oblig.l.contraxiſſe. Sic ergo in caſu noſtro, non debet attendi tempus verbalis citationis, ſed tempus quo eſt effectus citationis deſti-
7 natus. Et accedit.†. Quia dicimus cauſam, non factum debere cōſiderari. vt.ff.de furt.l.ſi quis fur.
8 §.ſi eo conſilio.&.l.verum.†. Non obſtat.C.de ferijs.l.vlt. vbi dicitur, taceat apparitio &c. Quia debet intelligi, ſcilicet pro eo die, & ita eſt in multis libris glo.interlineę. Et quia per huiuſmodi citationes factas in die feriata pro alia die non feriata, nec excluduntur, nec impediuntur partes ad paciſcendum & inter ſe tranſigendum in die feriata, vt probant verba.d.l.vlt. Nam ideo dies feriata eſt inducta, vt partes interim à lite ceſſent, & pacta conferant, & interim non vexentur, quod conſequi non poſſent, ſi eadem die comparere artarentur; & in caſu propoſito omnia prædicta litigantes conſequi poſſunt. Eodem modo reſpondetur in auten. vt cum de app. cognos.§.memini-
9 mus. licet ſit caſus ſingularis & ſpecialis.†. Et ad prędicta facit, quia citatio executoris, quantum in eo eſt, procedit ſine cauſæ cognitione, & de plano, & potius gratia implendæ commiſsionis ſibi

factæ per Iudicem, quàm principaliter per ſe ip-
10 ſum. vt.ff.de Nouatio.l.cum enim.†.& ea que de
plano, & ſine cauſę cognitione & non in forma Iu
dicij agũtur, diebus feriatis rectè agi poſſunt.vt.ff.
de adult.l.miles.§.ſexaginta. & quis. ord. in bon.
11 poſſeſſ. ſeruet.l.ij.§.dies. & ibi notatur.†. Liquet
igitur ex premiſsis, & ex his, quæ copioſiſsimè al
legatis, conſilium per vos datum eſſe & fuiſſe iuri
dicum. & iuri, & veritati amicum, non obſtante
ſententia contradictorum mordentium, quos pu
to potius animoſos, quàm ratione moueri.

Griffolus de Montepolitiano.

Subſcriptio Lapi de Caſtiglionchio.

*Faciunt ad hec notata per Io: and. in Nouell. de Fe-
rijs.c.conqueſtus. de for.comp.c. Romana. lib.*
vj. *Sum ſemper paratus ad omnia grata vobis.*

Lapus.

*Ex ſecun. volum. conſilior. criminal. diuers. edi
to per D. Io. bap. Zilettum. cons.* vj.
ibi, hic. XV. & vlt.

SVMMARIA.

1 Accuſatio, in qua dicitur tales vulnerauerũt talem pluribus vulneribus, & ad prędicta committenda, vnus alteri, & alter alteri dedit auxilium, conſilium, & fauorem, an procedat, & an poſſint condemnari vt principales, & auxiliatores.

2 Legitimè non citato, licet comparente & ſe excuſante, ſi ſententia contra eum feratur eſt ipſo iure nulla.

3 Indicia ſolemnia quando ex ſtatuti forma debent pręcedere citationẽ illis non precedentibus, licet citata parte feratur ſententia, illa dicitur manifeſtè iniqua.

4 Fideiuſſor pro eodem, & principalis eſſe non poteſt.

5 Res eadem non poteſt duplici iure cenſeri.

6 Inter criminis reos & fraudis participes multum intereſt.

7 Quando plures vulnerauerunt & ex ictu vnius perijt, is cuius ictu perijt de occiſo tenetur, alij autem non vt auxilium prebentes occiſori, ſed de vulnerato tantum tenentur.

8 Animus & propoſitum delinquentis, nõ exitus in delictis ſpectatur.

9 Fauor & auxilium tunc impenditur, quando quis non principaliter deliquit.

10 Opem prebens furto non eſt fur, licet furti teneatur.

11 Ius accuſandi vbi non competit, ſi illud opponatur, & in accuſatione deducatur, non nocet.

12 Auxilij ſpecies & fauoris exprimẽda eſt in ſentẽtia vel accuſatione

13 Is qui fruſtatoriè & ambigue ac obſcurè proponit, habetur pro non proponente.

14 Ambigua & dubia probatio contra producentem interpetratur:

15 Teſtes deponentes in genere de auxilio & fauore præſtito in homicidio, deponunt de eo. quod eſt iuris & non facti, & ſic concludenter non probant.

16 Statuta reducenda ſunt ad intellectum iuris communis.

17 Aliud eſt ferire, aliud percutere.

18 Ordo Iuris cum per ſtatutum remittitur, citatio ad audiendam ſententiam non cenſetur remiſſa, quia tunc illa non eſt de iuris ordine, ſed de ſolemnitatibus, & ſic ſententia redditur nulla, ſi citatio ommittatur.

CONSILIVM. XV.

1 ACcuſaui.†.tres quod percuſſerunt & vulnera uerunt titium pluribus vulneribus pro quolibet,Ita ꝙ mortuus eſt,& ad predicta cōmittēda, dixi,ſꝙ vnus alteri & alter alteri dedit auxiliū, conſilium, & fauorem: Iſti comparuerunt,& condemnati fuerunt vt principales, & vt dantes auxilium & fauorem. Qui appellauerunt; Queritur de viribus dictæ ſententiæ? Quia dicunt quod non citati ad ſententiam fuerunt condemnati. Et vi-
2 detur de iure dicendum.†.quod præmiſſa ſententia quantum ad omnes accuſatos, qui comparuerunt & ſe excuſauerunt, fuerit ipſo iure nulla.vt.l. ea quidem. C. Quo:& quand. Iud.ff.de re Iudi.l. de vno quoque.ff.de appell.l.ex conſenſu.§.eum. & Quæ ſenten.ſin.appell.reſcind.l.ij.§.item & ex
3 edicto.†.& vbi conſtaret eos legitimè citatos, vel ſententiam ferri poſſe non præcedentibus ſolemnibus indicijs citationem ex forma legis municipalis,tunc iniquitas dictæ ſententiæ manifeſtè oſtenditur: Ratio eſt, quia ex ſerie accuſationis apparet,eos vt reos principales accuſatos,& ſic non poſſunt intelligi accuſati, vt auxilium & fauorem præbentes,Nam ſuper eodem facto quis non poteſt eſſe reus principalis & auxiliator & fauoriza-
4 tor eiuſdem. Nam.†.nemo poteſt eſſe reus princi

palis

palis & fideiuſſor ꝑ eod. delicto.vt.ff.ad Velleia.
l.tutor.& de fideiuſſ.l.habere.§.ſeruo.& .l.Vrani-
5 us.circa princip. Item.†.eadem res non poteſt
duplici iure cenſeri.vt.ff.de vſucap.l.eum qui æ-
6 des.Nam † inter criminis reos & fraudis partici-
pes multum intereſt.vt.ff.de public.l.ſi multi pu-
blicani.in fin. Cum ergo obiecta dictis accuſatis
propter circumciſionem loci & temporis,& pro-
pter continuationem,dicatur vnum factum, & v-
num ſtructum,ſiue machinatio,de eis vt de princi
paliori eſt intelligendum in iudicium deductum.
vt.ff.de minor.l.iij.§.j.ibi.ſed ibi totum hoc ſtru-
ctum &c. & ff.ad l.aqui.l.illud.§.fina.& ibi nota-
7 tur. Preterea.†.Videtur caſus in l.item mela.§.ſi
plures eod.titu. Plures vulnerant,& ex vulnere v-
nius vulneratus perijt,quod is,cuius ictu perijt, te
netur de occiſo, ceteri autem non de occiſo, vel
auxilium occiſori prębentes,ſed dumtaxat de vul
nerato tenētur.vt.ff.ad l.Cornel.de Sicar.l.fi. Cū
ergo in actione proponatur omnes principales
fuiſſe reos & offenſores, non poteſt dici alter alte
8 rius auxiliator fuiſſe: Ratio eſt.†.Quia in deli-
ctis ſpectatur animus & propoſitum delinquentis
non exitus.vt.ff.de furt.l.Qui in iure.in princ. &
de Sicar.l.j.§.eius. Sed ex lectura accuſationis ap
paret, quantum ad accuſationem omnes pariter
inſultaſſe,& ſicut principales rei & directò offen-
ſores

ſores accuſati fuerunt, igitur non potuerunt deferri & auxiliatores & fauoris impēſores, cum omnis fauor actuſque factus transfundatur in principale delictum vt.d.l.illud. in fin.& notatur.C.de
9 accuſ.l.Qui de crimine.†.tunc ſanè fauor & auxilium impenditur, quando quis non principaliter
10 deliquit.†.Nam qui præbet opem furi, non eſt fur, licet furti teneatur.l.is qui opem.ff.de furt. & l.furti.§.ope.& l.ſi quis vxori.in prin.& l.pignore
11 §.qui ferramenta.†.Et ſic patet, quod ex eo capite, quo accuſantur de auxilio, & fauore non competit ius accuſandi, vt probatum eſt, & ſic de facto non nocet, Nam quod non competit, & ſi oppoſitum fuerit non nocet. vt.ff.de excecpt.rei iudi.l.ſi in iudicio.in prin.Porrò videtur poſſe admitti talis accuſatio, tamen in propoſito dicta ſententia
12 nō minus eſt, & fuit iniqua & iniuſta.Ratio.†.eſt, quia accuſator non ex preſſit in ipſa aliquas ſpecies auxilij vel fauoris, ſed in genere fuit vagatus, & ſic talis accuſator non pergit ad vigorem iudicij. vt.ff.de dol.l.idem exigit. & de iniur. l. prætor. edixit. in princ. §. quod autem prætor. Sed conſtat quod multæ ſunt opes, auxilia, & fauores, vt inſt. de oblig. que ex deli. naſcun.§.ope. & d. l. pignore.§.qui ferramenta.ff.ad Syllen.l.iij.§.ex-
13 cuſantur. & l.cum dominus.†.Is enim qui fruſtratoriè & ambiguè & obſcurè proponit, habetur

pro

pro nō proponēte;vt.ff.de excuſ.tuto.l.ſcire opor tet.§.ſcire. & ibi notatur. Ceterū & teſtiū depoſitiones in hoc ſunt obſcuræ & ambiguæ, nullā fa uoris, vel auxilij ſeu iuuaminis ſpeciem declarantes, & ſic ex eis non potuerunt accuſati damnari.
14 †. Nam dubiam & ambiguam probationem, interpetramur contra eum qui probare voluit. vt extra de probat.c.in præſentia. & ibi notatur.
15 Preterea.†.teſtes debent factum ſeu geſtum in ſpecie referre, & Iudex ex tali facto in ſpecie relato iudicat, Nam non debet teſtis dicere, titius præſcripſit, vel vſucepit, quia iſta ſunt iuris non facti: ſed debet dicere titius poſſedit, & ſic in propoſito caſu teſtes depoſuerunt ſuper iure, & Iudicis partes aſſumpſerunt, dicendo quod accuſati preſtiterunt auxilium, quod eſſe non debet. vt.ff.de verbo.obliga.l.ſtipulatio iſta.§. 2 quoque. & ibi notatur.& per Innocen.extra de teſtib.c.cum cauſam.circa finem primæ columnæ. Nec puto prędictis obſtare ſtatutum, loquens de pena præſtantis auxilium &c. Quia illud ſtatutum intelligitur, quando ſpecies fauoris & auxilij expri-
16 mitur & probatur.†.Semper enim ſtatuta municipalia reducenda ſunt ad intellectum iuris communis. vt.ff. de vulgar. & pupill. l. ex facto. in princ. & de muncrib. & honor.l.vt gradatim.§.

Sed

Sed ſi lege. Itē prouiſio d.ſtatuti habet locū,quan do auxilium præſtatur ferienti, ſed non percutien
17 ti.†. Nā aliud eſt ferire, aliud eſt percutere in ſua ſpecie. Tunc enim dicimus vulnus & feritam,quā do cutis ſcinditur & ſanguis effunditur ſecūdū Cirogicos,& ſecundū comunem modū loquēdi, qui præcipuè in talibus debet attendi.vt.ff.de leg.iij. l.Seruis legatis.§.omnibus.& de verb. ſign.l.anniculus.cū ſimil. Non obſtat ad primā partē,qua dicitur ſentētia nulla ex ommiſsis citationibus, per quod ſtatutum proponitur caueri,quod in alijs cognoſcendis,puniendis,& terminandis,non ſeruetur ordo iuris, dūmodo de maleficio conſtet &c.
18 .†.Quia citationes ad ipſam ſentētiā audiēdū nō ſunt de iuris ordine in proceſſu,ſed ſunt de ſolemnitatibus. vt probatur.C.de ſenten.l.prolatā. Credo enim iuris eſſe,vt ibi notatur.

Ex premiſsis concluditur,quod præmiſſa ſentētia eſt nulla propter ommiſſas citationes,& vbi ſubſiſteret poteſtas ſtatuti,eſt iniqua quantū ad præfatos. Et ita Reſpondi de facto conſultus.

Ego Griffolus.

Finis Conſ. D. Griffoli de Montepolitiano.